



1 Il persiano Dario attacca la Grecia

Darius autem cum ex Europa in Asiam redisset, hortantibus amicis, ut Graeciam redigeret in suam potestatem, classem quingentarum navium comparavit eique Datim praefecit et Artaphernem hisque ducenta peditum, decem milia equitum dedit, causam intenserens, se hostem esse Atheniensibus, quod eorum auxilio Iones Sardis expugnassent suaque praesidia interfecissent. Illi praefecti regii classe ad Euboeam appulsa celeriter Eretriam ceperunt omnesque eius gentis cives abreptos in Asiam ad regem miserunt. Inde ad Atticam accesserunt ac suas copias in campum Marathona deduxerunt. Is est ab oppido circiter milia passuum decem. Hoc tumultu Athenienses tam propinquo tamque magno permoti auxilium usquam nisi a Lacedaemoniis petiverunt Phidippumque, cursorem eius generis, qui hemerodromoe vocantur Lacedaemonem miserunt, ut nuntiaret, quam celeri opus esset auxilio. Domi autem creant decem praetores, qui exercitui praessent, in eis Miltiadem.



2 Dopo il successo, bisogna mantenere la temperanza

Lysander Lacedaemonius magnam reliquit sui famam, magis felicitate quam virtute partam: Athenienses enim cum Peloponnesiis bellum diutinum gerentes vicit non virtute sui exercitus, sed immodestia adversariorum. Ille autem singularem reverentiam adversus senes adhibuit. Namque tradunt ipsum dicere solitum esse Lacedaemonem esse honestissimum domicilium senectutis: nusquam enim tantum tribui aetati, nusquam esse senectutem honoratiorem. Lacedaemoniorum observantia erga senes exemplo insigni confirmata est. Athenis senex quidam, cum in theatrum ut ludos spectaret venisset eique nullus locus a civibus suis daretur, ad Lacedaemoniorum legatos forte pervenit. Ii, hominis aetate moti, statim consurrexerunt sedemque ei inter ipsos dederunt. Populus maximo plausu alienae urbis verecundiam comprobavit. Tradunt tunc unum e Lacedaemoniis dixisse: «Ergo Athenienses quid sit rectum sciunt, sed id facere neglegunt».



3 Ricordo di Catone il Censore

In omnibus rebus singulari fuit industria. Nam et agricola sollers et peritus iuris consultus et magnus imperator et probabilis orator et cupidissimus litterarum fuit. Quarum studium etsi senior arripuerat, tamen tantum progressum fecit, ut non facile reperiri possit neque de Graecis neque de Italicis rebus, quod ei fuerit incognitum. Ab adulescentia confecit orationes. Senex historias scribere instituit. Earum sunt libri VII. Primus continet res gestas regum populi Romani; secundus et tertius unde quaeque civitas orta sit Italica; ob quam rem omnes Origines videtur appellasse. In quarto autem bellum Poenicum est primum, in quinto secundum. Atque haec omnia capitulatim sunt dicta. Reliquaque bella pari modo persecutus est usque ad praeturam Servii Galbae, qui diripuit Lusitanos; atque horum bellorum duces non nominavit, sed sine nominibus res notavit. In eisdem exposuit quae in Italia Hispanisque aut fierent aut viderentur admiranda. In quibus multa industria et diligentia comparent, nulla doctrina. Huius de vita et moribus plura in eo libro persecuti sumus, quem separatim de eo fecimus rogatu T. Pomponii Attici. Quare studiosos Catonis ad illud volumen delegamus.